

/ Illustrissime et Reverendissime Domine. Quanto nos moerore afficiunt calamitates ecclesiae Hungaricae, quasi in litteris Reverendissimae Dominationis vestrae expositas cernimus, tanta vicissim consolatione animum nostrum reficit zelus honoris Dei, et salutis animarum, quem in vestro pectore Spiritus Sanctus accendit; et quemadmodum pro illis avertendis communem Dominum exoramus, ita pro isto magno suo beneficio quotidie augendo gratias agimus. Quod vero Amplitudo vestra multum de me sibi polliceatur, facit permanenter, et iuxta leges verissimae amicitiae, quae inter nos fuit
10 aliquando, et brevi, ut spero, cum honoris accessione, fortiori vinculo adstringetur. Pergat modo Amplitudo vestra sancto isto labore, et pastoralis sollicitudine de Ecclesia Dei bene mereri; caetera enim omnia Deo in primis, cuius servi sumus, deinde etiam Summo Pontifici curae erunt; neque nos unquam deerimus, ubi nostra opera
15 vel necessaria, vel utilis esse videbitur. Atque interim salutem, et incolumitatem vestram Ecclesiae Dei pernecessariam, ipsi Domino, quam devotissime possumus, commendamus. Romae die 30 novembris 1607.
~~88888~~

Epist. famil. LV.